

ram Palatino, vel Iudice Curie regie, aut coram quouis alio Iudice in Iudicio, aut extra Iudicium convenire, nisi coram Bano, pro tempore constituto, vel eius Vice-Iudicibus, per quos volumus vice, et auctoritate regia, ac sui ordinaria potestate, quibusbet Injuriam passis, vel querulantibus, Justicie copiam ministrari. Ad hec statuimus, ut nulli omnino Iudicum liceat suam Jurisdictionem, et Iudicium in causas, ortas in terra Banatus, aut inter homines terre Banatus intrmittere, nec cause huiusmodi ad presenciam alicuius Iudicis per Comites, vel aliquod speciale mandatum deferantur; vniuersis itaque Iudicibus Regni nostri, Palatino, Iudici Curie nostre, Comitibus, et aliis quibusbet pro tempore constitutis, regio edicto precipimus, firmiter precipientes, mandantes, quatenus uniuersos, et singulos Homines de terra Banatus, nec suo Iudicio astare compellant, nec etiam in causas inter eosdem ortas suum Iudicium, et Jurisdictionem aliquoter intromittere presumant. Si quispiam autem Iudicum presentis mandati nostri transgressor extiterit, aut ad premissa se intromiserit, eius sententia, seu Iudicium, nullius roboris optineat firmitatem, et insuper indignacionem regiam non evadat. Datum in Wissegrad in quindenis Natiuitatis beati Johannis Baptiste. Anno domini Millesimo trecentesimo vicesimo quinto. Nos itaque premissis justis, et juri consonis petitionibus annotati Lourandi litterati annuentes, pretactas litteras nostras priuilegiales, non abrasas, non viciatas, nec in aliquali sui parte suspectas, de verbo ad verbum, absque diminutione et augmento aliquo transsumpti, et transscribi, presentibusque similiter litteris nostris priuilegialibus inseri faciendo, tenorem et transumptum earundem presentibus verbotenus insertum eidem Lourando Litterato duximus concendendum ad cautelam. In cujus rei memoriam presentes Litteras nostras priuilegiales pendentis autentici Sigilli nostri munimine roboratas duximus concedendas. Datum Feria quarta proxima post festum beati Michaelis Archangeli. Anno Domini millesimo quadringentesimo vigesimo primo.

Originale membr. in Archivio Regni Croatiae Priv. N. 5.

LXXXII.

Anno 1328. 11. Kal. Octobris. In Pruk..

Ulricus de Walse, Styriae Capitaneus, districtum quemdam inter fluvios Muram et Dravam situm, Carolo Regi cedit.

Nos Ulricus de Valse, Capitaneus Styriae, memoriae commendantes significamus tenore praesentium quibus expedit Universis, quod Nos quemdam districtum, inter fluvios Drava & Mura habitum, intra veras metas Regni Hungariae existere & fore, Jus Regis ejusdem Regni revera esse cognoscentes, quem usque modo habuimus & tenuimus, deinceps nostro & omnium haeredum nostrorum,